

Est etiam genus pulvris quod efficit naturaliter res admirandas. Nascitur in regionibus

Baianicis et in agris municipiorum quae sunt circa Vesuvium montem. Commixtum cum calce et

caemento, non modo ceteris aedificiis praestat firmitatem, sed etiam cum struuntur moles in mari,

sub aqua solidescunt.

5 Hoc autem fieri hac ratione videtur quod sub his montibus, et terrae ferventes sunt et fontes

crebri, qui non essent si non in imo haberent aut e sulphure aut alumine aut bitumine ardentes

maximos ignes. Igitur penitus ignis et flammae vapor per intervenia permanans et ardens efficit

levem eam terram, et tofus qui ibi nascitur turgens est sine liquore.

Ergo cum tres res consimili ratione ignis vehementia formatae in unam pervenerint

10 mixtionem, repente recepto liquore una cohaerescunt et celeriter humore duratae solidantur, neque

eas fluctus neque vis aquae potest dissolvere.